



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Casus XVIII. De debitore moroso & restitutione ob damnum emergens, &
lucrum cessans.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

tuum dat mutuanti facultatem utendi pecuniâ solutâ in perpetuum, & etiam ipse mutuatarius solvendo mutuum suo tempore privat se simili facultate, & quidem in perpetuum, & sicut mutuans mutuando privavit se facultate negotiandi cum illa pecunia, & lucrandi, ita postea redditur ipsi æqualis pecu-

nia cum facultate negotiandi cum illa, & lucrandi, quæ facultas æquivalet priori; sicque fit debita compensatio, quod si talis non fieret ob lucrum cessans, liceret ob hoc aliquid accipere, non tamen præcisè ratione temporis prorogati.

C A S U S XVIII.

De debitore moroso & restitutione ob damnum emergens & lucrum cessans.

Merchantius Mercator debet Juvenali mercatori duo millia fl. quorum solutionem diu distulit, tum ob detrimentum, quod in mercatura aliàs facere debuisset, tum ob magnum lucrum, quod inde percepit, ex quo factum est, ut Juvenalis non modicum damnum ex debiti dilatione passus fuerit.

QUÆR. I. An, & quando debitor ob damnum in propriis bonis emergens, aut lucrum cessans excusetur à restitutione statim facienda?

QUÆR. II. An quando debitor ex causa sufficiente excusetur à restitutione statim facienda, debeat postea ultra debitum ipsum restituere detrimentum lucri cessantis vel damni emergentis, quod Creditor ob dilationem restitutionis passus est?

QUÆR. III. An si debitor morosus sit in mora culpabili solvendi, & Ideo Creditor cogatur accipere pecuniam, & solvere interesse, debeat in conscientia id totum solvi ab ejus debitore, si prius non fuit de eo admonitus à suo Creditore?

110 **A**D I. Q. non nulli cum Cajetano v. restitutio, q. 6. & Soto l. 4. de just. q. 7. a. 4. discrimen faciunt inter debitorem ex delicto, & debitorem ex

alio titulo, & debitorem ex delicto censent statim teneri restituere, etiam cum magno suo detrimento; non item posteriorem.

Alii

Alii generaliter loquentes affirmant, magnum, & notabile detrimentum in propriis bonis aliàs incurrendum excusare debitorem à restitutione statim faciènda, adeoque excusari eum, qui v. g. debet centum aureos, & non potest nunc restituere, nisi domum, vel prædium vendat multò minoris, quàm aliàs valeret &c. Ita Molina *D. 754. Lugo D. 21. Sect. 1. Less. l. 2. c. 16. n. 21. 22. & 25. Bonac. D. 1. q. ult. p. 1. n. 11. Em. Sà v. restitutio, n. 26. Navarr. Valent. Salon. Clavis Regia, Filliuc. aliique communiter, qui tamen in reddenda excusationis ratione non consentiunt. Bonac. eam rationem reddit, quòd restitutio faciènda sit, ut servetur æqualitas; hæc autem non videtur servari, si debitor cogatur ad restitutionem faciendam cum suo detrimento longè majori, quàm sit detrimentum creditoris. Alii cum eodem, & Scoto in *4. dist. 15. q. 2. a. 4. rationem esse censent, quia tunc Creditor irrationabiliter esset invitus, nisi consentiret in dilationem restitutionis, quam tamen rationem non approbant Cajetan. Sotus, Molina, & alii, eò quòd creditor non teneatur in id consentire, sed possit uti jure suo, petendo, quòd jam sibi debetur, non obstante, quòd debitor in rebus suis per accidens detrimentum inde patiatur, aliàs si consentire teneretur in eam dilationem solutionis, peccaret urgendo debitorem ad solutionem. Unde Molina l. c. ait**

legitimam rationem esse impotentiam debitoris, quæ tunc censetur dari ad solveudum propter tantum detrimentum, quòd hîc & nunc necesse est eum subire, si statim restituat; quæ tamen impotentia, licet hîc, & nunc excuset debitorem à culpa differendo solutionem, non tamen impedimento est Creditori, quominus absque culpa jus suum prosequatur, & executionem debiti adversus debitorem petat, nisi fortè parum, vel nihil sua tunc referret, restitutionem non statim sibi fieri, & debitor statim restituendo magnum detrimentum pateretur; tunc enim charitatis lege teneretur dare inducias debitori ad solveudum.

Porrò dixi suprâ detrimentum in propriis bonis aliàs incurrendum; nam ad hoc, ut debitor excusetur à restitutione statim faciènda, debet detrimentum, quòd patitur, distinctum esse ab ipsâ restituenda, seu debet esse damnum in rebus non debitis; nam damnum, quòd sentitur præcisè in restitutione rei debitæ, non est damnum pati in propriis bonis, sed est restituere, quòd alteri debetur, & alioquin qui plura, & pretiosiora furarentur, melioris essent conditionis, quia plus amitterent restituendo, quàm qui leviora furati sunt; atque ideo facilius excusarentur à restitutione faciènda;

Unde qui eâ solùm occasione dices

ves est, & statum ampliorem obtinuit, quia aliena occupavit, vel retinet, non ideò excusatur à restitutione, quòd cadere debeat à statu, quem injustè possidet, ut notat Lugol. c. non enim fas est retinere alienum, malè partum, invito eo, ad quem id pertinet, ut quis conservet suum statum.

Sicut autem notabile, & grave detrimentum proprium in bonis externis excusat ab obligatione restituendi statim: ita majori cum ratione notabile detrimentum in bonis altioris ordinis, ut in fama, vita, corporis salute, excusabit.

Ex suprà dictis infertur, non excusari debitorem ob detrimentum solum lucri cessantis, eò quòd si debitor non statim restituat alienum, sed differat restitutionem in aliud tempus, multum ex re aliena sit lucraturus, ut advertunt cirt. DD. quoniam id non est detrimentum pati in rebus suis propriis, sed in eo, quòd non lucretur rebus alienis, invito eo, ad quem spectant, utpote qui non debet consentire dilationi solutionis solùm, ut debitor lucretur.

III Ad 2. Q. non obligari debitorem justè tunc differentem restitutionem ad illa damna Creditori compensanda suaderi potest inde, quòd debitor ad ea refarcienda neque teneatur ex injusta acceptione, cum ita differendo non peccet;
R. P. Leonardelli Soc. Jes.

neque ex parte rei acceptæ; cum detrimentum, quod Creditor ex illa dilatione passus est, ad ipsum non pervenerit: ergo ex nulla radice tenetur.

Cajetanus q. 62. a. 8. respondet sub distinctione, & siquidem debitor restitutionem distulit ad vitandum damnum proprium in bonis fortunæ, teneri ad compensanda damna creditoris; secus si restitutionem distulit, ut vitaret damnum in bonis Ordinis Superioris, ut in fama, honore, aut corpore.

Molina verò. D. 754. n. 3. cum Navarr. & aliis censet in utroque eo casu teneri debitorem ex tacito pacto compensare Creditori detrimentum illi ex ea restitutionis dilatione secutum; quia æquitas non patitur, ut debitor velit, alienum retinendo, quod jam ex justitia debet, evitare damnum proprium cum creditoris jactura, & detrimento; adeoque, ut licitè possit velle dilationem illius, quod ex justitia jam nunc debet solvere, necesse est, ut id volendo velit etiam suscipere in se onus refarciendi alteri minus damnum, si quod inde passus fuerit.

Sententia hæc videtur satis probabilis; si enim alteruter ex dilatione restitutionis, debitor, vel creditor, damnum pati debeat, potior debet esse conditio creditoris innocentis; quam debitoris, sal-

Q

sal-

saltem cum æquali damno, vel si notabiliter majus sit damnum debitoris, ut minus creditoris compenset. Unde

Ad rationem in contrarium responderi potest, etsi debitor ad id non teneatur ex radice injustæ acceptionis, aut rei acceptæ, teneri tamen ex tacito pacto, & sub conditione, sub qua solum licitè potuit velle eam restitutionis dilationem; quod si ab initio voluit eam dilationem absque tali pacto, & conditione, injustus fuit, ita eam volendo cum damno, & præjudicio Creditoris, sicque tenebitur ex radice injustæ acceptionis; uti etiam quando fuit debitor ex delicto; nam debitor ex delicto, cum culpabiliter sit causa totius damni secuti, etiamsi illud postea fortuito sequatur, totum debet restituere, cum totum ex ejus delicto primo ortum habuerit: imò & debitor ex contractu, quando fuit in mora culpabili solvendi, quia tunc postea censetur debitor ex delicto, & tenebitur ad damna postea secuta, sicut alii debitores ex delicto.

Notat autem hinc Lug. *D. 18. S. 2*, in praxi plerumque excusari debitores à restitutione damni emergentis, vel lucri cessantis creditori facienda ex eo capite, quòd dilatio solutionis non fuerit peccatum mortale contra justitiam, sive quia non poterant debito tempore sol-

vere, sive quia non adverterunt, sive quia bona fide putarunt creditorem non esse graviter invitum circa dilationem pro eo modico tempore; non enim solent creditores adeò exacti & rigidi esse contra debitores, ut velint in solvendis debitis eos statim sub mortali obligare ad præstandam solutionem: imò indecorum censetur Creditoribus ita urgere debitores, ut inducias aliquas non concedant, ut commodè possint satisfacere. Ut adeò sæpè possint excusari à culpa gravi in dilatione solutionis, quando bona fide putant creditores scientes, & potentes urgere, & tamen non exigentes debitum, non velle uti toto suo jure & obligare sub mortali ad non differendam solutionem.

Supponit autem hinc citt. *D. quòd D. 8. S. 5*. cum pluribus aliis docet, ex culpa veniali non dari obligationem restituendi ex delicto damnum grave.

Ad 3. Q. an debitor morosus, ¹¹² quando est in mora culpabili solvendi, & ideò creditor cogitur accipere pecuniam, & solvere interesse, monendus sit à creditore, antequam pecuniam accipiat cum interesse, ad hoc, ut teneatur in conscientia solvere interesse, quod ob ejus moram solvere cogitur Creditor; an à id in conscientia teneatur, etiamsi à creditore non fuerit prius de eo monitus?

Re-

Respondet Azor 3. tom. l. 5. c. 4. de usur. q. 3. cum Angel. v. usura n. 20. & aliis, debitorem debere prius à creditore præmoneri de illo damno, quòd scilicet eo non solvente debeat ipse accipere pecuniam cum interesse; quia fortasse debitor de hoc monitus vel solvisset debitum; vel alio modo providisset, ne creditor damnum pateretur.

113 Nihilominus contrariam sententiam amplectuntur, & docent alii plures cum Petr. Navarra de restit. l. 13. c. 2. n. 281. Maldero tr. 5. dub. 12. §. dico 3. q. 2. & Diana r. tom. tr. de contractib. R. 87. affirmantes, monitionem illam laudabiliter quidem præmitti, non tamen esse necessariam, adeoque etsi debitor non fuerit prius admonitus à creditore, in conscientia tamen teneri id totum solvere, quod debitor idcirco solvere cogitur pro interesse. Rationem dant, quia reverà illud totum damnum incurrit creditor ob moram injustam debitoris; quod autem sequitur ex injuria alterius, refarciri ab eo debet, etiamsi injuriam passus non fuerit præmonitus; detrimentum enim illud creditoris, quod sequitur, non procedit à monitione, quam faceret creditor, sed procedit à culpabili mora ipsius debitoris, & damno inde secuto, & æstimatio damni Creditoris non magis debetur, quia fuerit protestatus, quàm si non fuerit protestatus; ut

adeò eam obligationem jam causaverit mora debitoris debito tempore non solventis.

Sententia hæc spectato saltem juris rigore probabilior videtur, præsertim cum persæpe nec vacet creditori, neque semper commode præmonere possit debitorem, nec monitio sit semper profutura.

Contrariam tamen sententiam Azorii satis probabilem pronuntiat Lugo l. c. quia debitor etiam ex delicto non tenetur ad omne damnum, quod utcumque sequitur, sed ad illud, quod necessario sequitur, ita ut non potuerit facile impediri; damnum autem Creditoris potuisset facile impediri monendo, quod proin non ex mora debitoris sequitur, sed ex negligentia creditoris nolentis debitorem monere, ut damnum illud impediret. Sicut enim si creditor potuisset facile aliunde sibi providere petendo pecuniam sine interesse, non teneretur tunc debitor solvere interesse, cum illud damnum non ex ipsius mora inevitabiliter proveniret, sed ex voluntate creditoris, volentis absque ulla necessitate illud subire: ita cum posset creditor facile providere monendo debitorem, & impedire illud damnum, non censeatur hoc ex culpa debitoris provenire, sed ex voluntate creditoris nolentis illud impedire, cum posset. Advertit tamen idem Lugo in foro interno consulendam esse conscientiam ipsius debitoris ad hoc ut

Q 2

ab

ab hac obligatione sit, vel non sit liber, an scilicet sibi conscius sit, quòd præmonitus non solvisset de-

bitum, vel solvisset, ut ita damnus illud impediretur?

CASUS XIX.

De censibus, & usura.

Martianus, ut sua pecunia, quam domi otiosam habet, lucretur, eam dat variis personis petentibus sub contractu retrovenditionis habito solum respectu ad quantitatem pecuniæ exigendo 5. pro centum, & non ad rei emptæ fructus, an verè ejusmodi fructus, eisdem, quibus dat pecuniam, nascantur, imò pro securitate fortis sæpè etiam pignus exigit, aut hypothecam, & fructus pignoris interim percipit, donec ipsi restitutum sit debitum. Non nunquam pecuniam dat cum pacto, ut redemptio fiat in eadem specie monetæ.

QUÆR. I. An speciem habeat usuræ contractus quo 5. annui pro centum st. petuntur, & accipiuntur?

QUÆR. II. An usurarius sit contractus, vi cuius Creditor tam in causa profana, quàm in causa pia rei oppignorata fructus lucratur, donec ipsi totum debitum solvatur?

QUÆR. III. An licitum sit emere censum cum pacto, ut venditor, cum redimere voluerit, redemptio fiat in eadem specie monetæ?

14 **C**laritatis causa Camplores nominabimus, qui dant pecuniam, Campsarios, qui accipiunt. Et quidem Camplores, qui pro aliqua pecunia interpellantur, priusquam eam

dent, conveniunt cum Compfariis de Capitali, suo tempore v. g. post unum annum, duos, tres &c. integrè restituendo, & simul ultra illud de certo aliquo lucro annuatim solvendo v. g. 5. pro centum,

recep-